

**Joannes Guil. F. Laurenbergius**  
**‘Pompeius Magnus’**

Tragoedia  
(1610)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Juli 2012

## Personae dramatis

Pompeius Magnus

Lentulus

Cornelia

Ptolomaeus

Achilles

Photinus

Septimius

Nuncius

Pomp. uxor

Rex Aegypti

consil. Ptolom.

consil. Ptolom.

legatus a Ptol.

Chorus faeminarum et virginum Romanarum

## Actus primus

Pompeius, <Lentulus>

Pomp. Tibi peremnes, glauce regnator marum  
Neptune, Nereoque salso et reliquis  
Laudes ago lubensque gratulor Diis,  
Quum classe salva littus hoc et divitem  
Portum Paretoni intuor sospes soli. 5  
Salvete Pelusiaca regna, quae mihi  
Videnda veniunt, tuque Divum munere  
Potentiaque amaenitateque adfluens  
Famosa Alexandria, quam oculis aucupo:  
Ni namque visus luminum me calvitur, 10  
Istic cacumen tollit altum Casius  
Fragosus ocris; propter hunc se devia  
Volventem aqua semptemque-gemino refluum  
Mare submoventem gurgite et Taneos simul  
Herbosa pingui nutrientem flumine 15  
Video arva Nilum. caelicas o qui incolis,  
Diespiter supreme, sedes, dextimis,  
Face, attigamus auguris hoc ostium;  
Faventia, ted obsecro, large tua  
Nos tu benignus adsere, ut, Memphitidos 20  
Qui scepra terrae potitur, olim quem suo  
Exdutum honore regiaque ab subditis  
Eliminatum sede nostri exercitus  
Vi patrio redimposiveram throno,  
Rex ille Ptolomaeus, miseritus res meas 25  
Mihi opitulanti praesidium ferat manu.  
Vtinam istud animi mente trutinaret sui  
Beneficium; nec precibus obderet meis  
Avorsus aures meve lactaret dolo,  
Fidei aut sacratum ius perpetuo falleret! 30  
At aevitatem quando regis, Lentule,  
Perpendo, qui vix iam parectatus tenet  
Solum patritum, triste cordolium meae  
Desubito menti et dividia obrepit gravis,  
Timosque pectus occupat, ne fortean 35  
Expectorarit merita properiter mea  
Omnisque noster fluxerit ingrato labos.  
Ita namque tempestate pervorsissima  
Hac est paratum: splendidis nisi honoribus

Copique polleat quis adfluentia, 40  
 Nihili aestimatur; trita volgi est fabula:  
 Tum si cui benefeceris, ea gratia  
 Ingrata cedit atque partes deserit  
 Obliterata planiterve concidit.  
 Id vereor, hercules, ne quoque eveniat mihi 45  
 Ab rege, ne, si forte prosperitudinem  
 Animo revolvat Caesaris, aliubi fuat  
 Me frausus aut quod facinus oceptet sacrum  
 Aliquive noxit, officii haut meminens mei;  
 Quam plurimam etenim repperirier licet 50  
 Mortalium partem, ricinia qui sciunt  
 Obvertere astu flamini probiter sua.  
 Vbi ninguidae hyemis acris ingruit gelus,  
 Pedem struunt probrisque te incillant male;  
 Vt rursus autem caldor aestatis venit 55  
 Adoreaeque macta fruge auctumnitas,  
 Celere revorsi, laude sublatum vehunt  
 Niveis quadrigis tibi que adulant dapsile.  
 At nobili integraque qui satus cluit  
 Propage cuique reapse rigido pectus est 60  
 Incoctum honesto, haut ille sese inglorio  
 Incestat ausu, morte celebri occumbere  
 Quam turpiter vixisse satius deputat.  
 Sed hoc utut sit; iacta nunc est alea,  
 Nec ceptum id ulli ferre quam vobis queo, 65  
 Qui me haut lubentem ad Pharsalum cum Caesare  
 Tristi duello compulistis cernere.  
 Vnde ipse vitulans alta victrici manu  
 Tropaea statuit et, triumphalem gerens  
 Comis coronam, spolia retulit maxuma, 70  
 Nos dedimus herbam subiices ei, qui facul  
 Sensim potuerat absque caede et sanguine  
 Flecti, simul convorsus astrorum favor  
 Et destinatum tempus adduxet vicem:  
 Sic nempe Magnus ille Pompeius suo 75  
 Vt ab hoste victus caderet utque exercitum  
 Fugare suetus fugeret et, qui noluit  
 Socerum parem, ferret priorem, maximi  
 Voluere caelites. en, impar qui mihi  
 Iam pene nomen duxeram, ceu folmine 80  
 Totius omnes territans orbis poplos,  
 Qua Sol candentem in caelo sublimans facem  
 Indos propinqua subditos tingit face  
 Et qua, parans subire spumantem fretum,  
 Vagae sorori cedit alternas vices 85

	Lassoque patruī stagna crispat lumine. Nunc ius necessitatis insuperabile, Cuius labantem cursus transversī impetum Voluere multi effugere, pauci potuerunt, Notos coëgit petere me et ab eis opem	90
	Procure, qui tot hostica heroas manu Devici, eorum colla prosubigens pede; Tot perduelles vi coerciti mea In censionem et arbitratum se mihi Totos dedere, sustinentes luridi	95
	Ad stagna Phlegetontis meam mitti vicem. Heu, quam ille miser est omnium, cuius graves Infausta nobilitas nobilitat miserias!	
Lent.	O dulce Romoleum decus, prænobile Ornamen urbis septicollis, quam tua Virtute totiens fortiumque militum Internecino funere expostam, manu Sartam tueris, cuncta protelans mala: Tibi benigni fausta plurima apprecor, Vitamque Divi largiantur diutinam;	100 105
	Tibi pectus infractum duint nec flammolam Generositatis, fervitur qua animus tuus, Duro malorum stingui sirint gelu, Quo denuo hostis male tibi infestum caput Feliciore adgredier ausis alite.	110
	Quodcunque factum est, nunquam id infectum fuat; Nec id tua accidisse culpa novimus, Sed adsedonum, qui manus cum Caesare Tibi duello conserundas ancipe Reciprocabant indidem communitus,	115
	Ipsipte saltim indulcitat̄is et gravis Huius fuere pernicii primum caput Simulque lugubre exodium suae sibi Peperere vitae. sic enim fieri adsolet, Domutionem privus ubi famul parat	120
	Superbia inflatus sui regis vicem Negatque iussu centurionis pervica Mente obsequi clupeata velitum cohors, Vtrique lapsu concidunt tandem gravi Meritaque Diveis morte supplicia danunt.	125
	Nos, qui gravantem congregi te Caesari Adegimus, dispendio nunc duplici Hinc merito pressi affligimur, qui plurimos Casca inclutos virtute, genere nobiles Anterminos simulque peregrinos feris	130
	Obiecimus desubulandos tragulis.	

Hoc interesse gens volebat praelio,  
 Quoius feraci verberant fluctu solum  
 Pura Ascani fluenta quaeque perpetim  
 Phaebi tepentis usta stricturis calet; 135  
 Nec demagis Thracesque et Hellados adcolam  
 Suas utrinque adduxe iuvit copias.  
 Aderat celebris viriatum Thessali  
 Propagmen, aderat bellicosus insimul,  
 Deiotarus et, qui colla suppostus polo 140  
 Concreta pigro maria sulcat marmore,  
 Thrax hippomolgus, quique tesca prosicunt,  
 Qua saxa rapido pulsat Axus vortice  
 Pronumque ripae contegunt Aliacmona:  
 Duellica Arabum Cappadocumque natio 145  
 Sanguen profudit, pinsitans cubitis humum;  
 Nec ipsa victrix gentium, mundi caput,  
 Vrbs septicollis, Roma, tibi quita est suos  
 Negare cives: quotumus, heu, prognariter  
 Certando, equestri illustrium prosapie, 150  
 Vitamque duris devorandod hostibus,  
 Vndam cruoris et animam evomuit simul!  
 Est certe Olimpi tecta stellantis tenens  
 Numen verendum, quidquid usquam est gentium  
 Nutu coërcens caelico et iussis regens, 155  
 Quod nemo fugiet, sive maxumus fuat  
 Seu minimus ille: contremiscunt singuli  
 Eique voto congenulant supplice,  
 Quos terra gremio cunque circumplectitur  
 Pelagusque et aether; nullus huic mortalium 160  
 Simul videnti fantia ac nefantia  
 Faxitve fallam aut pegerit pellaciam.  
 Consulta idipsum arcana constituens suo  
 Numen Senatu, turgidos pollentia  
 Fastuque sublato superbiae truci, 165  
 Anima suevit praecipis percellere.  
 Contra infuma de plebitate, ignobilem  
 Privumque terras filium, sed castiter  
 Iovis piantem sagmen atque pectora  
 Nullo inquinatum scelere, sublatum solet 170  
 Suprema honorum tollere ad fastigia;  
 Is nempe, quo nil mirius mundus tenet,  
 Sublime cuius nomen, augustum decus,  
 Valentia infinita, ius interminum;  
 Quique ipse misericorditatem vescitur, 175  
 Offucias perosus et cassus dolis,  
 Ac nos barathro festinatim educere

- Adflictionis flebilisque miseriae  
 Crevit cupitque, posta in eum modo firmiter  
 Spes nostra maneat. ille viribus animum 180  
 Fractum replebit masculaque audentia,  
 Si fructuosum patrio id fuat solo,  
 Quo post Iovem non probior est habentia.
- Pomp. Sic est, ut aiis, Lentule, et eadem quoque  
 Mens est mihi: oneri restat, haut unquam potis 185  
 Aut aeviternum calce supplantarier  
 Aut interire sacra funditus Themis.
- Lent. Sic equirine: haec ipsa cum monstraverit  
 Nobis amaenitate vernantem locum,  
 Vbi, quidquid animus nos iubebit poscere, 190  
 Haut difficul erit adfatim indipiscier.  
 Heic nexum amoris vincla concliniscere  
 Iuvabit, illiscum suis qui copiis  
 Opem ferentes, gladia curva imagine  
 Numero in tyranni perfidum stringent caput; 195  
 Comprimiter cum nobili Italiae solo  
 Confaederatum fulgat hoc regnum satis  
 Opimitate et virium valentia:  
 Ita, ut nec unquam, ceu videtur, lubrica  
 Sors mage beatum obiicere potuisset locum. 200  
 Quamvis enim primo pedatu ad Parthios  
 Dirigere classem mens erat, nil id tamen  
 Ratum esse duxi, cum hos triumpho turgidos,  
 Quem nupere caesis rettulere copiis  
 Crassi, sciamus insolentes pectore 205  
 Spirare fastus. ecquid his medullitus  
 Iam dum simultatis focillata asperae  
 Loligo redivivaque odiorum semina  
 Nobis periculum commoverent extimum?  
 Queis vidua quondam eadem modo prosumia 210  
 Et uterque Crassi puerus advehitur simul.  
 Indecore forsán servitutis tu nota  
 Mactus, ramenta viliorque iis plumbea  
 Ridiculus et crucia fores despectio;  
 Explesse iuvaret nobiscum lubidinem, 215  
 Nec hiscere nec mutire quicquam audentibus.  
 O facinus hoc immane verruncet procul,  
 Nosque ominari falsa faxit Iuppiter.  
 Quid? et ipsa tellus Part<h>ica procul dissidet,  
 Bellique inhabilis nilque munis officii, 220  
 Cum plera ferre haec regio possit commoda.
- Pomp. At, quaeso, regi, quem nec aevitas catum  
 Nec longa facere potuit experientia,

- Vt meque coniugemque credam et liberos,  
Tutumne foret, id, Lentule, mihi delica. 225
- Lent. Hoc gaudet almae ratio gratitudinis,  
Vt si de amico promerebis bellule,  
Haec ille puro condat animo perpetim,  
Pro talione postmodum redhostiens.
- Pomp. Quodcunque nequeunt amplius fruiscier 230  
Meritum, tenebricis illatebrant angulis.
- Lent. Rerum genetrix beneficissima omnium  
Natura, si quis praestitae immemor siet  
Olim fidei, torperatur, ingemit;  
Nec, pol, ego hunc ex aliorum ingeniis iudico, 235  
Intercapedo quorum amicitias levat.
- Pomp. Acerbitatis dummodo absiet pavos  
Periculique; at si quidem aegrimoniam  
Offensionemque hinc timendum est aestimae,  
Consilia nunquam haec ipsa me aggressum velim. 240
- Lent. Pompeie, talem hunc esse nullus auguro,  
Cum eius tumultus plena sit porrigine  
Bellisque ditio tota fervat interis,  
Diadema propter et suae regimen domus:  
Namque is gubernat solus et sceptrum manu 245  
Tenere cupiens, abdicatam regia  
Durus sororem quassat exbolas suam;  
Nec ipsa torpet segnitate aut languido  
Pigrore pressa desidet, sed oreas  
Fratri lupatumque inditura, colligit 250  
Hostile latronum agmen, illic affatim  
Laboris quod facesset. idcirco autumo,  
Consilia si concenturiabit serie  
Ac penitius, regno quod ingruit suo,  
Periculum rex mente ruminabitur, 255  
Laetiscet animo Diisque magnis gratulans,  
Quod te Ducem, tantum sibi aptus fit caput,  
Quoi simile nullum, vix secundum orbis tenet,  
Te, sat scio, ventum, faciet, huc gaudeas.
- Pomp. Dum volucre sortis prosperae petorritum 260  
Vehit secundis Imperatorem rotis,  
Paeane canta gliscit eius gloria;  
At cum liduna desita veniliae  
Aestus furentem pervolat surgens salum  
Miserumque tangit sors manu sinistima, 265  
Laus exolescit, splendor expulsim cadit  
Algaque saepe vilet aut hilo magis.  
Quin et tumultus iniqui si foculo  
Deletilique regna libret factio



	Discordia, tum quisque gracilenti fide Dignatur, impotentiores intrahit Potentior, minorque maiorem timet.	270
Lent.	Mirarier sat nequeo, Domine, quod tuum Id pungat animum, gnarus ipse quum sies, Quod regibus populoque celebri pluriens Honore mactus famigerabilis cluas. Sed ut tibi certisset istud mordicus, Libellionem hinc ablegemus, regium Qui fabulando electet animum blanditer. Si clepse merita perfido ingratum dolo Sentiscet et sterili in segete beneficium Te obsesse, nos hinc tutioris, Hippii Iterum exarantes concava tergum trabe, Aliam petemus illico sedis viam. Dextrorsus etenim prodigum Libystidos Terraesuperbit Cerere faecunda solum; Sinistera telluris ostentant procul Sese arva, qua Maurusii accolae freti Sceptro magistrat rex Iuba splendido; Vbi Vticensis, ille pronepos Porcii, Cato tuusque Scipio te manet socer: Si intutus heic, illic tibi atque coniugi Comitique statio singulo est tutissima.	275 280 285 290
Pomp.	Quando videtur optimum, rimarier Huiusce mentem regis et perquirere, Sietne promptus hospites iam nunc suos Accipere celsos subter aulae fornices, Age, et mihi istud adlubescit. tu modo Electilem, mandata, facito, qui ferat, Cui cor acescat callidum, prudentia Qui communitum pectus egregie gerat. Te vero, omnipotens, voce posco supplice, Consilium ut istud auxili nobis fuat.	295 300
	Cornelia, <Chorus faeminarum et virginum Romanarum>	
Cor.	Illustre Romanum propagmen, faeminae Magnatum, tuque o celebre castuis Lumen pudici, tenere caetus virginum, Quas hoc itinere plurimus nimbi mador Raucumque ponti murmurillum et flamina Exercitas habuere saeviter Noti: Lubetne mecum palitare in herbea Pauxillulum actae vinnulae crepidine?	305 310

- Turbasque mentis pellere et aegritudine  
 Paullum vaciva facere cordis intuma?  
 Ac inquam, quam dubia fastidiliter  
 Vobis profundi peperit indignatio 315  
 Nigerque pelagi, capita qui implevit, vapos,  
 Sermonis edulcare blandiloquentia?  
 Nos maximo functae periclo, munere  
 Tandem tuo, Neptune, fata evasimus,  
 Ratisque nostra iam quieto fluminis 320  
 Alveo peregri condita, optatae tamen  
 Potitur arenae, hac sede si modo degere  
 Tutis liceret liberisque periculo.
- Cho. Confide Dominae, quaeque Tartarino tuum  
 Pectus molestat morsicatim torculo, 325  
 Rescinde tristitiam ac metum evalla gravem  
 Teque excitato ex luctu in laetitidinem:  
 Suos poli monarcha tabificabili  
 Tandem suevit surpere aegrimoniae;  
 Quoius benigna ductione has littoris 330  
 Terraeque iam tenemus oras, fertilis  
 Regnum Canopi nempe dives, Bacchica  
 Procul Methymne maenibusque patriis,  
 Vbi famiger virtute, prisca gnobilis  
 Integritate, lege populum subditum 335  
 Rex moderat aequa, quem iuvabat prothyme  
 Quondam eminente larga Pompeii manus  
 Auxilio: ad hunc, ut urbe socia et sedibus  
 Fessas avitis reciperet, superrimi  
 Nos duxit alma numinis faventia. 340
- Cor. O faceret hoc! tandemque pausa miseriae  
 Nobis daretur et malorum interquies,  
 Quae perdiu impatibilia exanclavimus.  
 Ted, o Saturni germen, arbiter Deum,  
 Te sancte venerans precibus, invicte, invoco, 345  
 Sinistra levibus flamen auris, fac, Noti  
 Portenta in undas irrita aequoris ferat.  
 Satis malorum est, queis laboramus, satis  
 Insontici bellum profudit sanguinis.  
 Sed anxium tristi tumultu pectora 350  
 Cor pulsat, et mi nescio quid mens mali  
 Minitat futuri: o caelites, crudelibus  
 Vos tollite omen somniis hancque in sui  
 Servate Domini sospitate aut luridae  
 Stygis ad tenebras mittite hinc Corneliam. 355  
 Quatit horror artus, ora pallor occupat,  
 Quotiens recordor visa noctis proxumae.

Nam victa postquam hesternam cesserat dies  
 Moxque atritate vesperugo languida,  
 Nigrans rotundae caeca telluris pilam 360  
 Tollensque vultus noctiluca candidos,  
 Suassent quietem primolam mortalibus  
 Ac pictus aër fervidis late ignibus  
 Caeli choreas astricas ostenderet,  
 Imago visu talis obiicitur meo: 365  
 Ripae viretum nos manipulatim patens  
 Tenebat unius congregatas, qua gregum  
 Miscella lanigerum agmina upilio vagus  
 Buceraque pascebat animantia; alitum  
 Gracila minurritione latratuque aquae 370  
 Subterlabundae visa sonere littora.  
 Mansucius, sed ecce, dumoso loco  
 Repente sicca fauce prosiliit lupus  
 Ac, curvifrontes qui inter udas vespices  
 Curabat armentas, magistrum torviter 375  
 Adortus, avidis vellicavit dentibus;  
 Nos apere tantum faeminae adgressae scelus,  
 Clamore tonere cepimus commictili  
 Fremitumque comminitabiliter peregimus  
 Gallante voce implevimusque aethram sonu. 380  
 At nil moratus is minas, inimiciter  
 Deartuati membra pastoris ferox  
 Ieiuniosis condidit subito iliis.  
 Nos properiter tam grande cernentes nephas  
 Tranare campos concita visae fuga et 385  
 Pernice nostras petere cursura rates,  
 Tum subito dubius. inquam mihi timos  
 Rupit quietem; hinc horror obsessum tenet  
 Exsanguis animum, meaque mentis anxio  
 Terrore trepidans corda concutit metus, 390  
 Ignota quidnam caelitum ira talibus  
 Visis minetur quidve portendat mali.  
 Cho. Quid mente curas, Domina, libras provida,  
 Inculca scapre, squala paenitudine,  
 Curve gelidum plangore cor lapit pavos? 395  
 Desiste lacrumis, eiice tristimoniam:  
 Is, qui tuum valente totiens dextera  
 Dominum, salutis adserens iuvamine,  
 Ab imminente vindicavit hostium  
 Oppressione, rex Olympi maxumus, 400  
 Et nunc eadem pollet is valentia,  
 Eadem potestate viget, eodem robore,  
 Hic ipse Dominum, tristia verrucans, tuum

- Valido manus tuebitur munimine.  
 Fortuna quamvis dura frontem contrahens 405  
 Saevas in illum fulminarit turbido  
 Minas ab ore, Pharsalio cum Caesare  
 Quando sinistre dimicaret praelio;  
 Quin mox benignum, bile seposita gravi,  
 Vultum serena proferet fronte et tamen 410  
 Laeto subibit ostium portisculo.
- Cor. Iisne mentem speribus mulierculae  
 Alatis, id mi delicate serio.
- Cho. Speres fovendum est optumas mortalibus,  
 Adversa quamvis adflet austro sors gravi. 415
- Cor. Tutasque, nostram quae tenent classem, lares  
 Nobis putatis praebiturum littora?
- Cho. Postquam pluore fluida sat maduit humus,  
 Sicco serescit aethra tandem Huperion<e.>  
 Angustiis quae mille deluctavimus, 420  
 Nostrae miserebit miseritudinis Deus  
 Aderitque nobis indigisque opem feret.
- Cor. Quando ergo certa vos habet fiducia,  
 Tantumque regi et huicce fiditis solo,  
 Agite, volucris sortis aurae et nesciis 425  
 Placet locorum obferre nos amfractibus,  
 Modo inde tacitus falsimoniae absiet  
 Fraudisque terror isque amici firmiter  
 Iurata quondam pacta servet faederis.
- Cho. Heu, quanto crucii pectora tangitur 430  
 Angoris stimulo, sollicitudinum  
 Quisquis vulnificis obrutus aestibus  
 Cura perpete volvitur.  
 Saevo cur lacerat verbere carnifex  
 Luctus, tristitiae nubila conditum 435  
 Obscurant animi lumen et ultimam  
 Fatorum accelerant vicem.  
 Quae flagrat mutua pectora flammola  
 Coniux, legitimi ne socium thori  
 Telis insidians sors gravibus premat, 440  
 Cura praetimet anxia.  
 Iactari subolem cum videt aspero  
 Fortunae genetrix turbine, morsibus  
 Maeroris premitur percita, flebili  
 Planctu viscera concutit. 445  
 Hoc natura sagax, dum genitalibus  
 Clausos exigui ponderis arvulis  
 Formaret teneros, mentibus inserens

Nostris edocuit simul  
Vnaque edocuit saeva minaciter 450  
Nullum urgere acribus fata caput malis,  
Qua palans dubiis passibus addito  
Sors non ingeminet malo.  
Sentire hoc superi nos voluit Iovis  
Numen, quae variae percutimur manu 455  
Fortunae et patriis quaerim<us> extera  
Pulsae limina sedibus.  
Quantum sidereis praemicat ignibus  
Phaebi purpureum luciferi iubar,  
Tantum tu reliquis, Roma, superbior 460  
Fulgebas merito urbibus.  
Sed te iam facinus, te scelus impotens  
Nudatam eximiis turpat honoribus,  
Mox et sanguineis saeva trahet rotis  
Te fati violentia. 465  
Orbus quandoquidem consilio iacet,  
Cuius te pietas curaque pervigil  
Iam per longa satis tempora tristibus  
Tutam praestitit a malis.  
Solamen dubiae rebus in asperis 470  
Menti grande foret, militis advenae  
Si dextra rueres inque tuam exteros  
Armasset rabies luem.  
At nunc ipsa tuo te populas furens  
Splendore et proprio vulnere concidis, 475  
Dum plebes animis invida saeviens  
In contraria labitur.  
Civilis Marius trux fuit exiti  
Princeps, quem stimulans imperiis sitis  
Crudeli plateas sanguine fortium 480  
Suasit tingere civium.  
Caecus letifera Carbo lubidine,  
Carbo, sanguinei signa sequens Mari,  
Omnem luctificis caedibus aestuans  
Implevit rabide locum. 485  
Haec surgens liquidum denique in aëra,  
Incendit geminos flammula principes,  
Donec terricrepans in generi caput  
Belli detonuit fragor.  
Testis, Pharsalidos qua regio patet 490  
Terra dives opum, testis et Aemonis  
Tellus, quae maduit tota cadentium  
Nuper sanguine militum.  
Isto gens cecidit Romula praelio,

Ingens interiit gloria, laus simul, 495  
Nil restat miseris: hinc gemitu fremit  
Pectus perpetuo meum.  
At cum nec lacrumis nec prece nec minis  
Quidquam proficiam, singula ego tuo  
Commendo, rutilum qui colis aethera, 500  
Divum maxime, numini.  
Et tu iam patrii terra vale soli,  
Dulcis terra, vale; blandula luminis  
Qua primae tulimus munera, te favens  
Servet caelicolum manus. 505

## Actus secundus

Ptolomaeus, <Photinus, Achilles>

Ptol. Quem nulla sceleris impii patratio  
Lutulat nec ullus tetret animum criminis  
Nigror nefandi, is ipse non verebitur  
Germanitus Dominum sui adiutarier  
Ope consili. usque corde cuncta provido 510  
Volvat revolvat, ne quid unquam incommodum  
Ipsive regi aut subditis gignat suis;  
Feret nec unquam laudem honesti gloria,  
Fructus lucelli, spes decusve ut praegradent,  
Ne prosperae salutis ac quiis vicem 515  
Duella tangant principem et aegrimonia.  
Nam quem furentum languor usque verminum  
Diutinus exest, si suae vivat modo  
Mentis sequutus arbitratum, saniter  
Nunquam vigebit morbida ereptus lue. 520  
Sic, proprii quem fervor adfectus rapit,  
Consilia nulli profutura subgeret.  
At vos, fideles rebus aspris cogniti,  
Percontor una, facere quid me aequum siet,  
Vt, regia quae caelitum dono manu 525  
Iam teneo sceptrum, glorio servem statu,  
Ne flacceant fors - omen aurae dissupent -  
Obstita neve, me quod animitus solet  
Turbare, caeca factione corruant,  
Sed vostro ut adtegrata nutu munditer 530  
Concorditate nutricentur aurea;  
Quos mens parentis exita elegit mihi  
Olim adsedones, cui ego si nevelim  
Parere, non me facere fas existumem.  
Nam lapsa quamvis vix iuventa fecerit 535  
Med hirquitallum, clausa nec prudentia  
Dum pectori insit, quidquid et vita sumus  
Nosmet periti, usuque callemus magis;  
Id me tamen natura docuit parvolum,  
Quod, qui maligna subdole sententia 540  
Dominum aviis agit in pericla tractibus,  
Pernice gressu lancinantis vindicem  
Pone hunc sequatur vastitudo supplici.  
Iam qui remissus venit ab Pompēio

Huc faecialis, quid cupiret, auribus 545  
 Modo aucupastis: igitur an ratum siet,  
 Auxilia supplici ut benigna adcommodem  
 Vtque ipse duri saevium discrimine  
 Pungente fati exercitus, iuvaminis  
 Regnique nostri sit futurus particeps, 550  
 Id mihi fideli dicitote pectore.  
 Namque homo, qui erranti comiter monstrat viam,  
 Quasi lumen is de lumine accendat, facit,  
 Vt luceat ipsi nil minus, quum accenderit;  
 In consulendo sin malos sequemini, 555  
 Condigna noxae precia dabitis perfidi.  
 Ph. Quom cordis haec cupita sentiscam tui,  
 Phariae columna gentis ac regni decus,  
 Quae volvo tacitis clausa cunque sensibus,  
 Aequo recludam pensitanda examine. 560  
 Virtus potentis illa naturae sagax  
 Inter relicuas, queis abunde dotibus  
 Nos expolivit, dum parentis zonula  
 Tentae abderemur, subdidit praecordiis  
 Inseminata HVMANITATIS munera 565  
 Eique vinclis sociam aënis addidit  
 Canam Aequitatem. istaec miserias pectore  
 Misereri amici condolenter postulat  
 Opemque spondet flicto et haut cassam manum,  
 Haec conticere nesciens, memore tenet 570  
 Auram favoris praestitam et beneficia  
 Oblivioso condier silentio  
 Prohibere certat; si qui enim te, porrigens  
 Dextram, auxili decoravit ope, non inlubens  
 Retaliare discito et, quidquid tibi 575  
 Fieri cupiris, alteri ante feceris.  
 Natura tantis nos honestavit bonis  
 Prudente fato, temptitantem haec munera  
 Persephone sequitur pallidam vibrans facem.  
 Talem beatos fama fert olim viros 580  
 Vixisse vitam; dum aevitatis aureae  
 Terris vigebat saeculum, spontaneus  
 Quisque indigenti opem ferebat nec suum  
 Haerere in aspris passus est amiculum.  
 Iam nunc tuam, rex inclute, ecce, gratiam 585  
 Pompeius exul poscit auxilium, cui  
 Subtraxe opiferam nevolis durus manum:  
 Enim tuus, sic rite commemorari, sator  
 Populare multos civium quondam urbicum  
 Studium peposcit, fulminantis sterneret 590



Vt sortis austrum et perniciem hostiret gravem.  
 At quis repertus, quoniam auspicio mage  
 Levatus, altum erigere rursus verticem  
 Sustinuit, atque huiusce? qui tot hosticas  
 Arcens procellas, turbinantem innoxio 595  
 Capiti ancipis defendit impetum Deae  
 Dextraeque missum reddidit sceptri decus,  
 Quo tu, paterna possidens captum manu,  
 Populos magistras lege iusta subditos.  
 Quoniam putabis, magne rex, iuvamina 600  
 Deinceps negantem, primus qui tetulit tibi,  
 Sermone tete differet vulgus foris?  
 Ac. Nec me pigebit, o Phari columen soli,  
 O mente clare caelica heros, regibus  
 Prognate proavis, consilia multum tuo 605  
 Paritura regno fructuis corde intumo  
 Proferre: si cui grande minitatur malum  
 Caperata vultum iamque possidens forem  
 Fortuna, quis tam stolo, tam siculus momar  
 Clausis profunda luminum pupulis quie 610  
 Strato incubare pellium cuperet toro?  
 Nec ante inermum cassila tectus caput  
 Exire niteretur ictus? sic sophum  
 Venerata memorat turba, qui stabile solum  
 Sceptrique vires adtegratas expetit, 615  
 Dextra clientes mitis, ut gnatos pater,  
 Valida quietet, vindicet, admet suos;  
 Nec in choro ponat pedem alieno aut ferox  
 Tremulum micantis ense Volcani iubar  
 Fodicare pergat, ne qua forsit luminum 620  
 Corrumpat aciem flamma. nam quis enim, rogo,  
 Glaucum faselo Nerëi tergum secans  
 Supte cymbam sponte naufragus velit  
 Notis vorandam tradere Acrocerauniis?  
 Aut quis balantum upilio trux gregem feris 625  
 Dilaniandam dente proiiciet lupis?  
 Quis arte clarus duellica procestrum  
 Linqvit furori apertum miles hostico?  
 Haec una regi amussis, una regula est  
 Trutinare tacito subditorum commoda 630  
 Frugemque motu; quisquis alia suaserit,  
 In devium imperitos abstrahit itiner.  
 Quando ergo penitis tuere factionibus  
 Flagrare fines imperi cunctos tui,  
 Cuius duelli postmodum victoria 635  
 Quem maneat, almi in genibus est postum Iovis;

	Cumque antehac suspensus in medio tuus Neutram sequatur demagis partem favos, Tandemne gentem stultus hanc sectabere Virtute cassam, quam piger timidat pavos,	640
	Vires relinquunt, cor inaudax trans salum Solumque inire praecocem iussit fugam. Quod si secundo cymba Pompeii Noto Sulcaret undas, si, quod olim ostenderat, Fortuna amicum vultuis placidi iubar Reiicere in illum sustineret, tum metus Abesset omnis, cunctaque in vado forent. At nunc avito hic pulsus errat limine; Caesar trophaea statuit et victor, populo Plaudente, opimis insolens spoliis ovat.	645 650
	Adeon' periclis nobile hoc iuvat caput Amenter obiectare? tamne maximus Tibi vilet ille Caesar, hostis qui siet? O ter beatum, aliena quem cautum queun<t> Pericla facere, alterius ex incommodo Suum parare qui bene novit commodum.	655
Ph.	Quid lege fiet talionis, quae uvido Benefacta aquarum tergori inscribi vetat?	
Ac.	Nil inde veritum si fuerit periculi, Referre iustum gratiam decet virum.	660
Ph.	Sic astra adimus: orbe pulsa caelicam Adire rursus cogitur Aequitas domum?	
Ac.	Rex nullus esto, qui salutem perfidus Vitamque nauci deputat clientium.	
Ph.	Mandat sinistris devolutum casibus Misereri, Olimpica arce residens, Iuppiter.	665
Ac.	Et idem alumnos siderum imposuit throno Civemque sceptro regere subiectum iubet.	
Ph.	Cui rex salutem debet et regimen simul, Sic desperibit, flebili actus turbine?	670
Ac.	Pereat paludi luridae mersus Stygis, Cui bella cordi, laurea cui potior toga.	
Ph.	Sic capite in uno tota stirps Quiritium, Nunquam refruticatura postdum, concidet?	
Ac.	Sit grata Averno praeda, qui subitaneo Insonticos mactare fato cogitat.	675
Ph.	Tantumne iniqua mente meditari nefas In hunc, superbit quous hoc regnum fide?	
Ac.	Emergit, humili quod fuit prius loco: Fors cuncta fallax fingit artaque, ut lubet.	680
Ph.	Cum premere tantas providus turbas facul Rex queat et acres stinguere litium faces?	

Ac.	Nescia sequestri Roma, deprandi velut Guttur leonis, rennuit oreas pati.	
Ph.	Ergon' malignae sortis animus principis Famulum subibit liberi - scelus! - iugum?	685
Ac.	Sic orbica in orbe circulat fati rota, Dea caeca amicos invenit, eadem rapit.	
Ph.	O caeca stulti pectoris vesania, Rhamnusiae quod fudit infidae unice!	690
Ac.	Nae, multum acuto is ipse catus est corculo, Qui cuncta iusto pensitat trutinæ iugo.	
Ph.	Tyrannus est lupique trux animum gerit, Pariat amici qui fidem exsulio sui.	
Ac.	Quin merito cladem subdito excutiens solo Parens benignus patriae indigitabitur.	695
Ph.	Ratione cassum praebiti meminit boni Brutum: i, generosas discito imitari feras.	
Ac.	Quicumque victum asserere servatum cupit, Victoris odia hunc et simultas attigunt.	700
	Gladium sibi ipse acuit, ignem quaeritat, Queis vindice olim corruat fati manu.	
	Hoc te quoque, o rex inclute, manet, ni meis Facias vacivas aurium monitis fores	
	Lubensque recta consulenti obtemperes.	705
Ptol.	Immane quantum frigidi pariat metus, Dissensionis pestili si toxico Liti feruntur, grande qui columen cluunt Regii Senatus, cura queis regni incubat; Vbi, quem sequatur, Themidi ne sacrum innubae	710
	Solvat pudorem, nescius rex haesitat. Quid ergo fiet? optimum esse deputo, Veniat. stat haec sententia. veniat simul Vocatus ad nos Caesar huc per nuncium: Me praeteribunt odia; praegravat meas	715
	Haec sarcina alas, talibus necdum parem Firmavit haec me, fateor, ausis aevitas.	

## Chorus faeminarum

Cho.	Quantus Dominae tremulam nostrae Lacerat mentem terror! ut alto Rumpit tristia pectora questu!	720
	Postquam propero non nota gradu Petiit Pharii limina regis Missus ad altam nuncius aulam, Omina spondent nil laeva boni, Cuncta sinistris mens auspiciis	725
	Augurat. utinam responsa ferat Regi et tali condigna solo, Saevaque fessis tandem proprium Tribuisse velit fortuna locum!	730
	Euge quid, o dulcissima rerum Pectora, fiet? placitumne levi Inter resonae murmura ripae Defessum animum recreare gradu? Dum regali sede revorsus	735
	Nos fecialis beet indictae Luctu trepidas pacis honore, Nostraque tandem positis Domina Animo curis, evangelii Donet fidas munere nuncias.	740
	Sed me, nescio quae, stelliferum Dum nox torquet pallida cursum, Spectra insolitis horrenda modis Terrent miseram: seu fatalis Veniant istaec culmine Olympi, Seu Tartareis nata tenebris	745
	Vlrix animum his lactet Alecto, Non vana puto. tu caelicolum Maxime rector, face, raucisonas Zephyri portent gelidique Noti Omen in undas.	750

## Chorus &lt;virginum&gt;

Cho.	Si per albentes merite lapillos Aureum nulli diadema regi Cingeret frontem, nisi quem modestas, Quem fides blando decorat decore, Grande virtutis cui semper undam Perpluit pectus, pariare iusta	755
------	--	-----

Qui catus novit benefacta lance,  
 Quot sua talis caperet Monarcha  
 Vrbe Quirites!

## Stropha I.

At scelus nefandum 760  
 Contagesque vagae malignitatis,  
 Quidquid et malorum aperto  
 Pandorae dolio volavit,  
 Iam frena tentant imperii, vagus  
 Qua sibi subiectam 765  
 Orbis ocellus humum colorat.  
 Dominandi sacra fames  
 Effera mortalium ob-  
 sedit inani pectora luxu,

## Antistropha I.

Caelicum Fidei 770  
 Numen mortifero impiatur ausu,  
 Saepius pedum malignos  
 Experta, heu, Dea iusta pressus  
 Caelorum avitas reppetit domus,  
 Osa hominum mores, 775  
 Simplicитatis honor labascit,  
 Duplici dare terga dolo  
 Iussa; truci Ambitio  
 Ducit habenas splendida fastu.

## Epodus I.

Lex nulla iustis terrigenas regit 780  
 Scepтрis, Tisiphones statuminata  
 Fulcris per orbem sanctio totum viget.  
 Compositas studet  
 Quisque per fraudes facinusque sacrum  
 Trahere in ruinam improvidos. 785  
 Qualis diro nobilis astu,  
 Pelasgiae sub finibus,  
 Quondam Lycaon,  
 Quos modo pestiferis  
 Iure receperat hospites 790  
 Laribus iurando, nec opinis  
 Supposita soluit iugulum

Cuspide, cum roseum laveret Sol aequore currum.  
Qualis nescia pacti

## Stropha II.

Faederis Lycurgus 795  
Corda gerens, qua vomere tellus  
Thressa scinditur, fuit;  
Qui flexicordi ut verterat  
Fessos iteris viros  
Ad tetros sermone penates, 800  
Mox degulandos legirupa praebuit -  
Scelus heu lacrumabile - cru-  
entis pabulum triste caballis,  
Nil memor nuper pacionis ictae,  
Nil fulmen veritus Iovis. 805

## Antistropha II.

Inde cum daretur  
Vescier aevi lenibus auris,  
Primitus novella le-  
gum sanctio Divum munere  
Nostro insita pectori 810  
Demandat, non deside cura  
Ius hospitale quisque teneat et lubens,  
Violentia quos agitat  
Multum iratae turbida sortis,  
Sponte servet, sanguineam procellam 815  
Fati arcens capite a pio.

## Epodus II.

Quondam cruentis Niliaci soli i-  
rato numine sauciata paenis  
Iacuere regna, barbarae propter trucem  
Saevitiae impetum, 820  
Cum nec humana feritate Chencres  
Vrgeret impius Iovi  
Lectum aeterna sorte popellum.  
Quis credat immotam Deos  
Mutasse mentem? 825  
Nunc etiam generi  
Supplicium grave perfido  
Minitatur. verum quotus istos

Aure bibat cupida monitus?  
 Caeca hominum mens Cymmeriis immersa tenebris 830  
 Iram deputat assis

## Stropha III.

Vnius Deorum;  
 Egregiam laudem et memoranda  
 Rettulisse nomina  
 Famamque saeclo immobilem 835  
 Pars plera hominum putat,  
 Incautos si fraude maligna  
 Fraudare et atram mittere queat ad Stygem.  
 Ehe! qualibus in tenebris  
 Vitaī quantisque periclis 840  
 Degitur, quidquid miseris superfit  
 Aevi. quam mea frigido

## Antistropha III.

Mens metu tremiscit,  
 Ne colat has ignobile terras  
 Nationis perditae 845  
 Propagmen, Hebri quae gregem  
 Demente ferocia  
 Extremas reddegit ad inci-  
 tas, servitritio colla suppostam iugo;  
 Etenim velut aetherei 850  
 Progignunt immania campi  
 Monstra, lethali metuenda viro,  
 Quacunque hoc colitur solum.

## Epodus III.

Vtque insonantis gurgite septimo  
 Nili flumina, lacruma madenti 855  
 Fallace, crocodilo hospitam praebent domum  
 Et tepido frequens  
 Aspis in limo latet atque adictus  
 Vibrat nocivos linguam,  
 Sic aequali e semine regni 860  
 Esse huius inquilos puto:  
 Nam nec suēvit  
 Gignere chaoniam  
 Accipiter ferus alitem,

Nec veprium quis de peracuto  
 Vulnificum stimulo Bromii  
 Gnossiacum legit reparantem pectora florem.  
 In natum usque redundant

## Stropha IV.

Ingeni paterni  
 Semina. nec med extera fallunt  
 Signa: fuscior cutem  
 Liquore Nariciae picis  
 Atque ora niger magis,  
 Cum Divum regi arma pararunt,  
 Bronteve Steropeve igneove Pyracmone,  
 Quianam anthracina hic populus  
 Albo velat corpora amictu?  
 Scilicet nigram gerit ille mentem  
 Intus, candidulus foris:

## Antistropha IV.

Oris extimo fert  
 Nectar hyblaei nobile mellis,  
 Mente toxici luem  
 Clausam latentis devomit;  
 Spectat catus, angulos  
 Ruspatur quaeritque nocendi  
 Scelestus ansam, dummodo occasus iuuet,  
 In suam ut innocuos  
 Dulci pellat voce sagenam,  
 Ceu latens ramis aviceps opacis  
 Fallit aetheris accolas.

## Epodus IV.

Quis tanta stultus reiciat omina?  
 Quondam - fama ea si fidem meretur -,  
 Princeps, Cainum, generis author qui cluit  
 Nilicoli, ferunt  
 Impiam fuso maculare dextram  
 Ausum cruore fraterno;  
 Non heis a stirpe ingeneres men<s>  
 Mea vivere animos arguit:  
 Natura pelli  
 Provida non poterit,  
 Ne similis similem genat;



Ficto nos pellacia fuco  
Ne maneat, mea cura sedet.  
Tu Divum rector, si te pia numina tangunt,  
O placabilis adsis!

905

Aspicito, socia faeminarum concio,  
Quid ille Dominae nuncius portet novi,  
Huc qui velox cursuram celeranter rapit;  
Quod plexa collum lavere salsis lacrumis  
Domini incipissit ora? non frustra puto,  
Mens nescio quid spondet hinc mihi mali.

910

## Actus tertius

Cornelia, <Pompeius>

- Cor. Igiturne regem adire stat sententia?  
Pomp. Adire certum est: mantat hic me nunci<us>.  
Cor. Periculosum, metuo, ne hoc itiner siet.  
Pomp. Desiste faemineae modo formidinis. 915  
Cor. Desiste praecipis tu prius audaciae.  
Pomp. Vitare cautus potero praevisum malum.  
Cor. Vitare ficti quis potest cordis dolum?  
Pomp. Fuco carebit fraudibusque os regium.  
Cor. Sublatam in orbe quaeris in cassum fidem. 920  
Pomp. Desiste tandem: frangier nequeo metu.  
Cor. Frangare saltem coniugis precibus tuae.  
Pomp. Iniqua poscis, quae decus laedant meum.  
Cor. Quin aequa posco, quae caput servent tuum.  
Pomp. Timore fractum turpe foret desistere. 925  
Cor. Bona turpitude est, quae periculum vindicat.  
Pomp. Tempus volat, fugitiva labitur dies.  
Cor. Melius pigrasse, quamde properasse, est nefas.  
Pomp. Vox regia tutam sternit hanc mihi semitam.  
Cor. Nec spectra te nec somnia uxoris movent? 930  
Pomp. Delirat is, qui credere somniis postulat.  
Cor. Itan' paratum, dure, properas ad malum?  
Pomp. Mihi sensa regis animus est scrutarier.  
Cor. Maerentem ex abitu uxorem concinnas tuam.  
Pomp. Duplici beabo eandem revorsus gaudio. 935  
Cor. Adhuc dieclam siste, quaeso: neminem  
Vidi, qui numero sciret, quod scitu est opus.  
Pomp. Cito debet incepisse, cito quod perfici  
Debet, voluntas homini rarenter venit.  
Cor. Vatum minax te commoveat oraculum. 940  
Pomp. Nil credo auguribus, qui aures verbis divitant  
Alienas, suas ut auro locuplent domus:  
Qui plus alieno ex iecore sapiunt quam suo;  
Sibique semitam hanc sapiunt atque alteri  
Monstrant viam, queis pollicentur ditias, 945  
Ab hisce dragmam obulumve dementes petunt.  
Cor. Tandem querelis non graves aures meis  
Praebeto, nostri o suavis animi suavitas,  
Meae una vitae ridica, ne desere precor  
Curis sepultam derepente coniugem. 950

Tangat paterna pectora miseratio,  
 Edurus orbos quos relinquis, liberum.  
 Misereto procerum, nostra quos tenet ratis.  
 Nam quae per orbem nomina feres, si lubens  
 Ipse in paratam pertinax mortem rues 955  
 Vitaeque casu licia rumpes flebili  
 Ac nos seorsim dividos letho offeres?  
 Postica factus sanna flagrionibus  
 Iocusque scurris et tabernis naenia,  
 Cuique diris impetere morsibus; 960  
 Hem! iure cecidit, quem ferox protervitas  
 Traxit sub atrum praecocis iugum necis.  
 Quod si tuapse haec monita spernis gratia,  
 Age, nostra tete solitas, te patriae  
 Crebro tua virtute servatum decus 965  
 Hac exuat mente: vigila atque incredulus  
 Fieri memineris; artua haec prudentiae  
 Nervique sunt. quamplurimos aula educat,  
 Quorum est animus atroce iunctus malicia,  
 Composita dicta e pectore volventes suo, 970  
 Quae cum componas, dicta factis discrepant:  
 Hi sunt inimici pessimi, hilaris frontibus,  
 At corde tristi, quos, nec ut apprehendas, scias,  
 Nec ut remittas; haec revolve sedulus,  
 Haec mente colito. huc usquedum sollertia 975  
 Te gnara docilisque ingeni sagax vigor  
 Super volucres vexit aetheris plagas  
 Metuente solvi penna et immistum Diis  
 Magni dedit tulisse nomen. enim iugi  
 Calet memoria pectus, ut mactum inclutum 980  
 Titulis honorum, laudis atque adorea,  
 Te pars celebris principum suspexerit  
 Atque urbis optimas Senatus Martiae,  
 Virtutis ardens propter invictae iubar  
 Heroicaeque masculum indolis decus, 985  
 Queis praenitebas inde, postquam primitus  
 Lanugo glabris serpere institit genis,  
 Praesens adusque, senica cum ruga exarat  
 Frontem ac canastrae tempus abscondunt comae.  
 Testantur omnes hoc ubique gentium, 990  
 Quas luce tuitur cunque Phaebus ignea;  
 Nec tu negabis, grata quae salso fretu  
 Titanicis praebere pabla iugalibus  
 Quiemque diceris, Hesperii tellus soli.  
 Experta fortis credit hoc Sertorii 995  
 Magnanima virtus, quem coactum porgere

Herbam ac triumpho ductum opimis novimus  
 Tuos adfatim ditare spoliis milites.  
 Exinde fines Romolei fuit imperi  
 Tibi cura victis ampliare gentibus, 1000  
 Quas alma vultu Memnonis adspicit parens,  
 Quum taesa strati senicis explicat genas  
 Croco rubentes luceque inficit polum.  
 Sensere vires grex tuas piratica  
 Rhondesque et Icadion, myoparonibus 1005  
 Pontum profundi habuere qui infestum maris,  
 Cum, verticosis subruti undarum aestibus,  
 Fatale medio hausere poclum gurgite.  
 Haec postulavit patria; at nunc cogites:  
 Qui ipsus sibi sapiens prodesse non potest, 1010  
 Nullus sapit. quam misera, ne te strenui  
 Animosa gravitas cordis et cupidae nimis  
 Amor ultionis perditum, vereor, eant  
 Miseramque tristi viduitate coniugem,  
 Maerente mactes orbitate liberos. 1015  
 Quid me inde fieret? aevitatis hoc mihi  
 Quodcunque restat, taedio ac senio foret.  
 Me Roma nescit; Itala tellus abdicat,  
 Cecidere cognati, ferox amiculos  
 Ferrum voravit, frater armis occubat, 1020  
 Prius marito Persica abstulit caput  
 Acinaces corpusque iusta nesciens  
 Lanianda saevis praeda proiectum est lupis.  
 Quid multa? facta sum vespertilio, neque  
 In muribus plane neque in volucribus. 1025  
 Tu sole restas, o meae solatium  
 Columenque vitae, quem si, amatum cor, mihi  
 Eripere tentet dura fatorum manus,  
 Quid restat, aeternum nisi ut misera siem?  
 Qua te oro propter, per superi numen Iovis, 1030  
 Per genua, per, quos derelinquis, liberos,  
 Hanc ultimam percipito vocem coniugis  
 Servaque carum, quod modo petitur, caput.  
 Cum Lesbiis deserta campis degerem,  
 Quos dives Aegon fluctibus lavit aquilis, 1035  
 Praesagus itidem hic augurabatur animus,  
 Quod insequutum postea nos pepugit, malum.  
 Aequale minitatur mens periculum. tutius  
 Tellus peteretur Afra, ubi expectans Cato  
 Cogit latrones militumque copias. 1040  
 Quod si nec illud conlibet, ratum puto,  
 Poscatur iterum voce pacem supplicii

	Caesar: benignus namque per gentes cluit Nec denegabit, ipse quod petiit prior.	
Pomp.	Tuus, fatebor, alta mentis concutit Mi templa questus, dulcis o amor meus, Mea o voluptas; at face, tute cogites, Pro patriis in arma qui ruit focus Laesaeque pro salute famae et proprii Tutela honoris devovet lubidini Sese cruentae mortis, hos numen Iovis Iusto coronans adserit tutamine. Nec vereor ire: vita nam cuius siet Decoris, honestam fugere mortem haud convenit. Adversus hostem ea est libertas, purimum Qui pectus atque firmum gestitat; aliae Obnoxiae res nocte in obscura latent, Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet. Atqui huic labori terminum fixi meo, Clarare meritis nomen ut queam et BONVS Audire CIVIS. livida quod hostium Caterva adeptum teneo, laudis hoc decus Late tueri liberamque ab extero Pergam usque vindicare patriam iugo, Vigor superstes donicum per ossua Mihi calda curret; nec tenebras obiici Famae celebri aut nomini sinam meo Timore victus: mihi licet regnum atque opes Eripere quivit, at nequivit caelicam Fortuna virtutem. ante iam subit animum Tutum parare maene vobis, nec prius Noctem quietus exigam, quam vos suo Cupita rursus Roma caeperit sinu. Quamvis cruentus hoc favorem praelio Mavors negarit, non tamen despondeo Animum nec aethram rumpo planctu: conqueri Fortunam, non lamentari decet. id viri Officium est, fletus muliebri ingenio additus. Mutata forsan sortis inverso rota Decurret axe, contuatur dummodo Bellona vultu nos benigno, ut hosticus Cum Dyrrachino miles occubuit agro. At nulla posthac Caesari me supplicem Videbit aetas: illius superbia Ignota nulli est, specta cunctis cruditas; Nec Bibulus ille sirit hoc, ut stabilia iungamus iterum dexteris in faedera. Restat Cato, quem petere complacet, simul	1045     1050    1055   1060    1065    1070    1075    1080    1085

Armata nobis lecta militum cohors.  
 Tu modo sequaces, cara coniux, pectore 1090  
 Seclude curas. nulla te dies meo  
 Evellet animo, nulla, nisi quae ferreo  
 Urgebit artus somno et aeterna quie  
 Serabit oculos. namque mortis orbita  
 Terenda cunctis, evitanda nemini 1095  
 Ditisque aperta quemque spectat ianua.  
 Prius dehiscat ima mihi tellus precor,  
 Quam te periculis linquat immersam aut sinat  
 Haec dextra, servam famula ut aetatem exigas.  
 Eamus ergo: desine, uxor, conqueri. 1100  
 Cor. Ah, siste gressus studiumque iteris reprime.  
 Pomp. Ellum, caductor huc properiter advenit  
 Ab rege missus.  
 Cor. quantus animum concitat  
 Metus!  
 Pomp. timorem pelle: quem praemiseram  
 Legatum ad aulam, mox revorsus gaudiis 1105  
 Laetoque maestus vos beabit nuncio.

#### Septimius

Sept. Salveto, Domine: te lares sub regias  
 Carum sibi rex hospitem vocat, ut, suo  
 Quae prensat animo, gratus in te eroget.  
 Pomp. O fide amicum, Septimi, meritissima 1110  
 Divis habetur gratis, ope quod indigus  
 Per te, Romuleum non leve decus civium,  
 Digner vocari; credulum exin specula  
 Alit animum, fore ut, rementus praestita  
 Officia, corde gratiam grato colat 1115  
 Causaeque lenis rex meae sit arbiter.  
 Sept. Postquam Gabini strenua invicti manus  
 Ablata regi restituit nostro sola,  
 Pars inde amicum, dignitate et nobili  
 Honore decoratus fui non infimas. 1120  
 Pomp. Sic regia me spero susceptum, fides  
 Quod nota meruit, laude et officiis colet.  
 Sept. Meditata iam sunt decora, queis ornabere.  
 Pomp. Quo me, putas, rex, Septimi, accipiet modo?  
 Sept. Quo clade fractum principes solent virum. 1125  
 Pomp. Ceptum secudent Dii meum, ut grato queam  
 Pensare quondam merita tanta pectore.  
 Sept. Eamus ergo, Domine: tempus avocet.

Pomp. Eamus. o qui caelicam incolitis domum,  
Monstrate tutum, Dii, mihi tandem locum. 1130

## Cornelia

Cor. Abiit mea nil dicta moratus  
Et sollicitam liquit coniugem.  
Tu virginei concio caetus,  
Numina castis poscito votis  
Ac solemni superos sacro 1135  
Mecum propera litare Deos.  
Vt terrifici tristia fati  
Fulmina frangant Dominumque meum  
Foveant placida numinis aura!  
Pars ito, sacros pyxide odores 1140  
Ferto atque Arabi lacrumas turis  
Et, quod calidis thymiamia focis  
Poscit, ut iram pressura Deum  
Pingues veniat victima ad aras.  
Ite, supinus pedibus torpor 1145  
Absit et omnis mora: sollicito  
Iussum studio urgete laborem.

## Chorus

## Stropha I.

Cho. Non ullum insuperabili  
Necessitatis vinculo  
Maius omnidomae Dii 1150  
Dedere terrigenis malum.  
Si maligna fulminantis  
Fati nubila provide  
Cauturus, in temet fugam  
Verteris, hoc mage consequae lex 1155  
Necessitatis mox propero tui  
Vestigio pedis feretur.

## Antistropha I.

Haec, quod non habet, indigum  
Aliunde cogit sumere  
Ferox consilia artifex 1160  
Sequi negata; haec donicum  
Tutiore conquiescant

Spelaeo, pecua et greges  
 Vrget ferarum concitis  
 Horricoma impetibus vagari 1165  
 Per lustra perque scrupea montium.  
 Paeni ferociam leonis

## Epodus I.

Frangit et fusi cupidae cruoris  
 Tigridi obdit oreas.  
 Penniger puri 1170  
 Aetheris accola  
 Celeri volatu  
 Spatium per inania caeli  
 Metitur amplum, uti gutta  
 Vrgentem releuet gravi 1175  
 Siticulam sub aestu.  
 Nec potioris homo gradus

## Stropha II.

Censetur: miserum trahens  
 Et ipsus aevum, quaeritat  
 Tutam quo capiat loco 1180  
 Remotus adversis quem.  
 Nos quoque atra compulit sors  
 Incertis, proprio lare  
 Pulsas, vagari sedibus.  
 Quid memorem exitiale Magni 1185  
 Pompeii iniquo turbinis exitu  
 Fatum? proterva septicollis

## Antistropha II.

Romae quem modo maenibus  
 Vis expulit Rhamnusiae,  
 Is, cuius sibimet prope 1190  
 Iam nomen impar, omnibus  
 Terror extitit latensque  
 Auditum populis pavos:  
 Nunc, ecce, natali miser  
 Pulsus humo patriisque terris 1195  
 Eliminatus postulat exteri a-  
 micas manus opemque regis.



## Epodus II.

Dulce virtutis tamen inviique  
 Pectoris decus metu, a-  
 piscitur palmam, 1200  
 Mergier asperis  
 Renuens procellis  
 Neque sorte sciens sinuari,  
 Discit licentiam ferre  
 Fatorum. impare congrredi 1205  
 Cum Diis negans duello,  
 O nimium, nimium catus.  
 At ecce, Domina huc advenit,  
 Datura votivum sacris  
 Libamen aris, simpulum 1210  
 <Pin>g<uem>que <acerram> et <murreos>  
 Adfert odores. age, gradum  
 Contra feramus ac gravatam  
 Concorditer oneris levemus  
 Parte. at quis ille, quem, manantem 1215  
 Sudore fluvido, videmus  
 Passus metiri grandiores?  
 Ni lumina haec me caeca fallunt,  
 Is est, comes qui nostro ad aulam  
 Domino ibat. heu, nimis citata 1220  
 Pungit meum cursura pectus.



- Cor. At nequeo sustinere acerbitudinem  
Tanti doloris.
- Cho. quod manere commodum  
Te poterit ex immensitate luctuis?
- Cor. Perfungar isto tumque vitam deseram.
- Cho. Ecquid gemendo tristimoniam levas? 1260  
Animare nemo lacrumis corpus valet,  
Quod Morta muto contegit silentio:  
Veter id fatorum terminus sic iusserat.
- Cor. Humanitus lugere datur. ego ni fleam,  
Quam tot malorum tanta circumstat cohors? 1265  
Quid me ergo fiet, servitutis cum Deus  
Me comptibit et domitrix dextera  
Regis tyranni? exinde cum cecidit meus  
Maritus ac nos morte destituit sua,  
Ilicet eodem hoc raptam ab Aegyptiis die 1270  
Comitesque meque parvulosque diriter  
Famulare ad unum coget aevum ducere.  
Me quisque spernens, quisque me incillans probris,  
Sermone indecorans, turpi fama differet;  
Ac forsit aliquis voce miseritudinem 1275  
Ridens amara, 'aspicite Pompeii', inquiet,  
'Qui terror olim regibus erat, coniugem,  
Quae servitute quale mutavit decus!'  
Haec dicet aliquis, me quidem incesset pudor  
Pectusque vulnerabit anxitudine. 1280
- Cho. Heu, sufficit; deinceps nec ulterius eas.  
Tibi, nuncie, longe est promicanda oratio  
Nobisque, utut res gesta, memorandum ordine.
- Nunc. Postquam nefandum corde retractans scelus  
Sermone fictae blandicello linguae 1285  
Litisque dulci melle verborum logis,  
Scelerum magister, innocis caput necis  
Septimius, inclutum hincce deduxit virum,  
Primum capillis humile nudatis caput  
Submisit ac flexo genuclans poplite 1290  
Condignam honoris praestitit verentiam,  
Falsique aperiens sensa regis benivola,  
Delubra caelitum, arae sanctitudinem,  
Manes Quirini et sagmina iurabat Iovis,  
Abfore periculum. haut longiter Alexandria 1295  
Tellus profundo Nerei circumdata  
Late patebat, incolae indigitant Pharon,  
Istic superbum septa fluvio fertili  
Tollit cacumen regis infidi domus.  
Stabat vagum fissura Neli gurgitem 1300

Instructa subdolo celox portisculo,  
 Pompeius hanc subit. repente perfidus  
 Incauti Achilles pone reserat intimas  
 Ferro latebras cordis et capulo tenus  
 Sancto dolonem pectori recondidit: 1305  
 Cruore tepido tullii efflantes volant.  
 At mentis ille immota servans intima  
 Obnixus anxiam premebat pectore  
 Curam; hinc utrumque lumen obvelans manu,  
 Nec morte pallidus futura nec gravi 1310  
 Miscens querelas flebiles suspirio,  
 His tacita rupit vocibus silentia:  
 'Istud supremus Iuppiter cernit scelus,  
 Quem nemo fugiet: ipse hanc iniuriam  
 Vltrice quondam vindicabit dextera.' 1315  
 Vix haec locutum mente cadere interrita  
 Multo videmus perforatum vulnere:  
 Percussa durus colla miles amputat,  
 Cervice caesa truncus in pronum ruit,  
 Querulum cucurrit murmure incerto caput. 1320  
 Natavit unda corpus; id me prendere  
 Conante, in altum fluctus avexit salum.  
 Haec ipse vidi atque inde rettuli gradum,  
 Quae conspicatus, nuncius uti dicerem.  
 Cor. Vtinam tuos nunquam hucce tetulisses pedes 1325  
 Nec pectus hoc sermone maerasses meum!  
 Cho. Bonum esse opinor, concinamus naeniam.  
 Cor. Praesulta atrocis tu doloris initium.  
 Cho. Qualis Romoleae flosculus pubis iacet!  
 Cor. Papae! papae! Pompei papae denuo! 1330  
 Cho. Vbi, Domine? ubi? quo? quo migrasti conditus?  
 Cor. Ah, unde coniux? quod mihi te abstulit scelus?  
 Cho. O, o miserias! nec modus desiderii.  
 Cor. Ah miserias! o rursus etiam miserias!  
 Cho. Ah, nos reliquit pristinum Solis iubar. 1335  
 Cor. Heu, coniugem, Pompei, maestam praevenis.  
 Cho. Iam sufficit. video revorsas virgines.

## Altera pars virginum

- Cho Quod supplicatum cunque numen poscere  
Iovis videtur, Domina, dum prognariter  
Paramus, ad nos incitos Codrum gradus 1340  
Tuimur ferentem, qui cruore diffluens  
Taboque sparsum et capite cassum strenuus  
Extraxerat salso uncinatis fustibus  
Ponto cadaver. nos pavore exterritae  
Defixa gelido continentes lumina 1345  
Trunco, nequimus, quis siet, cognoscere;  
Tam pallidum incestaverat corpus cruor.
- Nunc. Vbi hoc locorum, faeminae, factum autumem?
- Cho. Propter propinqui littus undosum maris;  
Artus reperti conquinatos cadaveris 1350  
Lymphoris udo Codrus imbre perluit  
Vilemque ripa praeparavit grumulum:  
Mox segmina legens ramulorum atque fruticum  
Ramenta clabulasque cumulans arborum,  
Rogum cremando construebat corpori. 1355  
Nunc mole pressus lassitudinis gravi  
Paulla laborem relleuat longum quie.
- Cor. O sat malorum! sortis o variabilis  
Vicissitudo! ut vita nulli propria  
Invita datur! ah, ter misera Cornelia; 1360  
Ah, misera et infelix nimis: te faeminam  
Miselliozem terra nullam conspicit!  
Quid accipis? quae sidera in caput tuum  
Maligna coniurasse dicam? te scelus  
Fati dirum videre saevam principum 1365  
Mortem coëgit scilicet Crassi, incluti  
Herois, ense qui voratus Parthico,  
Magnique Pompeii, scelesti infidia  
Quem regis atram compulit modo diriter  
Acheruntem obire, ubi mortis thesauri obiacent. 1370  
O Roma, Roma, clara regina urbium,  
Quisnam tibi sensus audienti, ferreo  
Cecidisse fato, qui, tui curam gerens  
Teneri ut genetrix blanda pupi, dextera  
Te vindicavit? ecce, nunc campis iacens 1375  
Putiscit, inhonorus, sepulcro haut conditus,  
Ceu pecua, tristi dira pestililas lue  
Quae stravit agris. veniat, o veniat, precor,  
Optata nunquam satius, et me luctuis  
Huius lubentem Morta solvat vinculo. 1380

At quid molestis ipsa me querimoniis  
 Demens fatigo? te, supreme Iuppiter,  
 Vosque, o qui oculo humana iusto cernitis,  
 Dignata caelo turba, vos ego alloquor:  
 Vindicta in reprobos vestra dirum saeviat, 1385  
 Terramque et urbem et regiam et regem simul,  
 Quiqui et scelestus inita rumpens faedera  
 Pactique nexus atque iurandi fidem,  
 Occulta tanti caussa sceleris extitit,  
 Vos ultionis efferro aestu perciti, 1390  
 In merita poscitote supplicia, precor.  
 Teque huius aut<h>or caedis et scelerum caput,  
 Furiale bellum, Cerberusque et Tartarus  
 Densumque chaos et ater umbrarum chorus  
 Et, quicquid inferis mali est, vexent, premant, 1395  
 Distringilent, obliterent, dispulverent;  
 Te triga Stygiis pullulantium excetris  
 Laceret fatigansque artus torto distrahat.  
 At tu scelesti regis ultrix, pinguis  
 Tellus, benigna divites posthac opes 1400  
 Felice partu denega profundere;  
 Perdat diluvie, copiosior sua  
 Surgens origine, impium Nilus solum.  
 Ignis, procella, motiones terreae,  
 Fames sitisque et dira pestilentitas 1405  
 Ac, si nocivum aliud quid est mortalibus,  
 Frangat colonos distrahatque sonticos.  
 Sed quid moramur? quin fugam tandem citae  
 Paramus hospitiumque faedae linquimus  
 Telluris, in qua fraus, scelus, pellacia, 1410  
 Infida sanguinis sitis, hominididum  
 Sibi proprias voluere sedes figere.  
 Postremum, eamus mortui visum ultimo  
 Ad busta Domini. o unicus coniux meae,  
 Dum tua manebat vita, vitae terminus, 1415  
 Ten' deseram? deserere fatum compulit;  
 At non inultum deseram: nam te nisi  
 Vlto, meis nullum dabo finem miseriis.

## Chorus

Cho. Quidquid immenso spatiosa late  
 Continet tellus gremio, supremi 1420  
 Lucido expostum Iovis est oculo.  
 Ille non ullis patiens tenebris

Obrui, clarum iubar orbis omnes  
 Spargit in partes penetratque ad imi  
 Infera Ditis. 1425  
 Quis potest Divum latuisse numen?  
 Cui nihil tectum piceis latebris  
 Cernitur, quidquid rotat axe Titan,  
 Quisquis et terrae gravidae colonus  
 Aptat adsuetis iuga panda bubus 1430  
 Et quod umbrosos peragret recessus  
 Concitum caecis animale turbis;  
 Quaeque pennarum celeri volatu  
 Aetheris campo volucris movetur  
 Quique pinnarum celeri natatu 1435  
 Piscis immensum pelagus pererrat.  
 Abditus densis homicida fallax  
 Arborum ramis, loca caeca tentat,  
 Vrgeat si quis iter institutum  
 Nescius tanti sceleris viator, 1440  
 Quem petat caedem sitiens, petitem  
 Mittat infestum Stygis ad barathrum  
 Ac suas nubis putat involucro  
 Posse nigranti latitare fraudes,  
 Nemini visas hominum; sed illa, 1445  
 Quae vagos certa moderatur orbis  
 Lege, ter magni Iovis alma virtus,  
 Omnia haec iustis tuitur pupillis  
 Nec bonos vindex sinit unquam inultos  
 Opprimi caetu reprobum maligno. 1450  
 Impotens mentis, sceleratus Atreus  
 Caede perfusam gemina machaeram  
 Tertii tinxit patruis cruore;  
 Iamque divisim secat ipse corpus,  
 Viscerum venas notat et calentes, 1455  
 Amputat truncis humeros cruentis,  
 Ossa denudat ferus. ora tantum  
 Servat et dextras fidei iugatas.  
 Mox coquit partem tepido vapore  
 Et veru flammam tribuit querenti; 1460  
 At dapes ignis positas refugit  
 Et focus bis ter trepidis regestus  
 Arsit invitus: scelus o nefandum!  
 Lancinat gnatos genitor suique  
 Membra funesto vorat ore membri. 1465  
 Saepe praeclusae tenere fauces  
 Impias escas, timidam g<ra>v<a>v<it>  
 Dexteram pondus; dubius pavore

Nec suum noscens facinus Thyestes  
 Dicitur totis resonasse tectis: 1470  
 'Heu, quis internos agitat tumultus  
 Insolens artus! trepidant quid intus  
 Pressa maiori gravitate membra?  
 Sentit, heu, moles oneris meumque  
 Non meo pectus gemitu gemiscit. 1475  
 Heu scelus! tandem tua facta, frater,  
 Nosco: pro fedum facinus nec ullis  
 Creditum saeculis! premor ipse natis  
 Et premo natos genitor: quis unquam,  
 Quis nefas vidit parile aut secundum?' 1480  
 Talibus caelos adiit querelis  
 Impio pastus genitor cibatu.  
 Movit aeternos ea fama Divos,  
 Labitur gressu redeunte Titan,  
 Obvium ducens itiner, novisque 1485  
 Obruit dirum facinus tenebris.  
 Spissior longe coit inque noctem  
 Abdidit se nox, stupet alma mater  
 Memnonis frenos dare sueta Eeos,  
 Tardius Divo veniente; magno 1490  
 Gentis humanae trepidant pavore  
 Corda, ne mundum superosque caecum  
 Obruat rursus Chaos atque tandem  
 Cuncta fatali pereant ruina.  
 Nec minus tecto cava luna vultu 1495  
 Condolet fratri, gelidas nec umbras  
 Digerit terris, renuens scelestum  
 Cernere mundum.  
 Credimus ipsos curare Deos,  
 Hominum quidquid natio terris 1500  
 Perficit, et mortalia iusto  
 Cernere vultu: quamvis meritas  
 Clemens Iuppiter differat iras,  
 Tamen haut residui dupla pedatu  
 Paena accelerat; gravitate moras 1505  
 Numina pensant. velut abruptis  
 Sinuosa ruunt flumina rivis  
 Rapiuntque novo vorticis haustu, im-  
 petui quidquid restat eunti,  
 Sic caelicolum furor impatiens, 1510  
 Quemcunque gravi turbine tangit,  
 Meritas dextra vindice paenas  
 Sentit piceae missus ad umbras  
 Stygis horrendas. o expetas ho<c>



Crudeli aequo tempore regi. 1515  
At nunc eamus, Domina: veloci fuga  
Terram scelesti deserere iuvet soli,  
Magnum precantes supplici voto Iovem  
Iovisque fratrem, vitrei numen maris,  
Functis periculo ancipi nec invidae 1520  
Iterum novercam sortis expertis manum  
Monstrare tutum propitius velit locum.  
Eamus hinc. caeptis favete, caelites.

Finis

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Erstausgabe von 1610 mit zweimal fehlerhafter, hier korrigierter Seitenverteilung (vertauscht 949-978 mit 979-1008, 1069-1098 mit 1099-1125; als letzte Seite ist ein entsprechender Hinweis für den Leser gegeben: „Lector Amice, Typographi incuria factum scito, quod sub quaternionem B commutatas inter se vides pagellas pauculas: eum Tu errorem, et quiqui levior est alius, corrigere pro tuo candore velis, et a nobis salvere.“).

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *ss* für *ß* sowie *faeminae* statt *foeminae* (377), *Phaebi* statt *Phoebi* (135, 459), *quodcunque* statt *quodcumque* (111), *reliquis* statt *relliquis* (2), *utut* statt *ut ut* (64); mit einfachem *-i* 5 *ParetonI*, 134 *AscanI*, 478 *exitI*, 483 *MarI*, 869 *ingenI*. Groß geschrieben wurde: *Averno* (675), *Dii-* (1126, 1130, 1254, 1206), *Divum* (904, 1426), *Domin-* (737, 1138), *Olimp-* (153, 666, 744 [statt *olymp-*]), *Senat-* (164, 983), *Sty-* (671, 838, 1397), *Tartar-* (324, 745), ganz groß *HVMANITATIS* (565, statt *HVMAnitatis*); klein dagegen: *rex/regi* (600, 629, 1116), *tuque* (7), klein belassen 328 *monarcha*.

Als Überschriften gesetzte Namen vor den Auftritten sind jeweils vor die Szenen gezogen, so vor 1 *Lentulus* statt vor 99 (dort zwar wie neu eingeführt, aber bereits 31 angesprochen), vor 304 *Chorus ...* statt vor 324, vor 506 *Photinus*, *Achilles* statt vor 557/603, vor 912 *Pompeius*, vor 1222 *Nuncius*. Vor 751 wurde *Chorus* ergänzt zu *Chorus virginum*. Im Darstellerverzeichnis wurde *Ftolomaeus* zu *Ptolomaeus* verbessert.

Der Ausruf *heu me*, *heu me* ist im Original nach 1248 als Einzelvers und nicht wie sonst bei Sprecherwechsel im Vers in derselben Zeile mit 1249 gedruckt. So lässt er sich als außerhalb des Metrums und folglich auch außerhalb der normalen Verszählung stehender Ausruf werten (als 1248a oder 1249a; 1249 dann iamb. Trimeter) oder - wie hier geschehen - metrisch mit dem folgenden Vers verbinden (1249 dann als gemeinsamer Vers iamb. Senar).

- 39 *hac*: im Original evtl. *haec*  
 203 *triump<h>o* statt *triumpo*  
 219 *Part<h>ica* statt *Partica*  
 377 *apere* ungebräuchlich (besser *<c>apere* oder *opere*), aber passend zur sonst ebenfalls gesuchten Wortwahl  
 384 *tam* statt *ram*  
 419 *Huperion<e>*: Wortende unleserlich  
 456 *quaerim<us>*: Wortende unleserlich  
 510 *consili* statt *confili*  
 654 *queun<t>*: Wortende unleserlich  
 685 *ergon'* statt *ergon*  
 691 *multum* statt *mnlum*  
 696 *indigitabitur* statt *iudigitabitur*  
 889 *aviceps*: im Original evtl. *aeviceps*  
 897 *men<s>*: Wortende unleserlich  
 912 *sententia* statt *s.ntenia*  
 913 *nunci<us>*: Wortende mit Abkürzung unleserlich (evtl. auch *nunciam*)  
 924 *quae* statt *qnae*  
 1021 *prius marito* statt *prius-marito*  
 1042 *pacem* statt *pa,em*  
 1074 *quamvis* statt *qnamvis*  
 1211 *<Pin>g<uem>que <acerram> et <murreos>*: Vers weitestgehend unleserlich (nur Einzelbuchstaben und untere bzw. obere Reste)  
 1236 *evita<us>*: Wortende unleserlich  
 1392 *aut<h>or* statt *autor*  
 1416 *ten'* statt *ten*  
 1418 *ulto* statt *ullo*  
 1445 *hominum* statt *homium*  
 1467 *g<ra>v<a>v<it>*: größtenteils unleserlich  
 1514 *ho<c>*: Wortende unleserlich

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 2, 3, 13, 14, 22, 29, 34, 36, 39, 43, 44, 48, 48, 54, 55, 58, 60, 62, 69, 71, 76, 77, 83, 85, 90, 106, 117, 124, 134, 140, 143, 159, 161, 162, 164, 169, 176, 181, 186, 208, 220, 242, 248, 253, 256, 266, 268, 281, 291, 292, 295, 307, 308, 312, 315, 326, 326, 333, 342, 353, 358, 360, 362, 370, 373, 378, 380, 385, 392, 410, 421, 422, 425, 428, 436, 449, 456, 472, 475, 498, 498, 507, 514, 515, 528, 547, 558, 565, 568, 569, 571, 575, 583, 591, 608, 618, 649, 682, 693, 704,

- 746, 760, 812, 838, 856, 858, 872, 875, 875, 885, 930, 944, 955, 956, 958, 959, 976, 978, 982, 984, 989, 997, 1003, 1012, 1013, 1022, 1032, 1040, 1043, 1048, 1049, 1060, 1076, 1093, 1095, 1098, 1101, 1115, 1131, 1134, 1138, 1141, 1141, 1146, 1166, 1168, 1195, 1197, 1198, 1202, 1213, 1250, 1259, 1267, 1269, 1271, 1279, 1282, 1285, 1290, 1294, 1304, 1310, 1323, 1325, 1342, 1351, 1353, 1354, 1361, 1386, 1386, 1386, 1388, 1392, 1394, 1394, 1398, 1405, 1405, 1407, 1409, 1424, 1430, 1448, 1458, 1459, 1461, 1464, 1468, 1474, 1477, 1478, 1487, 1493, 1507, 1508, 1518, 1520
- 'Komma' gestrichen nach: 15 *flumine*, 385 *concita*, 495 *laus*, 530 *nutu*, 637 *antehac*, 677 *nefas*, 860 *semine*, 866 *stimulo*, 1173 *spatium*, 1411 *homicidium*, 1513 *sentit*
- 'Komma' ergänzt: 1, 16, 17 *supreme*, 17 *dextimis*, 18, 19, 19, 20, 45, 45, 46 *ne*, 69, 71, 77, 84 *qua*, 97 *heu*, 115, 126, 132, 140, 141, 149, 149, 179, 190, 190, 199 *ita*, 203 *turgidos*, 222, 222, 222, 224, 235 *nec*, 235 *pol*, 252, 254, 254, 259 *ventum*, 259 *faciet*, 295, 299 *electilem*, 299 *mandata*, 299 *ferat*, 302 *vero*, 302 *omnipotens*, 304, 314, 338, 344 *ted*, 345 *precibus*, 345 *invicte*, 346, 346, 352, 361, 372, 372, 374, 393 *curas*, 393 *Domina*, 397, 416 *tutasque*, 430, 446, 451, 475, 490, 500 *aethera*, 521 *sic*, 525, 546, 552 *homo*, 554, 562, 575, 585 *ecce*, 592, 616 *mitis*, 621, 621, 649, 666 *residens*, 671, 680, 691 *nae*, 701 *quaeritat*, 703 *manet*, 706, 708, 709, 710 *ubi*, 748 *face*, 753 *modestas*, 773, 773, 788, 841, 892, 893, 893, 900, 906, 906, 914, 914, 923, 924, 931, 932, 932, 936, 937, 937, 945 *ditias*, 961, 968, 973 *quos*, 973 *apprehendas*, 986, 987, 990, 1007 *cum*, 1013, 1013, 1031 *per*, 1031 *derelinquis*, 1034, 1045, 1045, 1047 *face*, 1077, 1100, 1100, 1101, 1102, 1107, 1108 *ut*, 1114 *ut*, 1124 *me*, 1124 *putas*, 1130, 1130, 1140, 1142, 1194, 1194, 1207, 1208 *ecce*, 1212, 1215 *quem*, 1220, 1227 *ille*, 1227 *quaeso*, 1228, 1234, 1237, 1239, 1242, 1248, 1251, 1254 *dicet*, 1261, 1276 *amara*, 1281, 1331, 1332, 1335, 1336 *heu*, 1346, 1346, 1348, 1348, 1360, 1361, 1373 *qui*, 1375, 1378 *veniat*, 1378 *precor*, 1382 *te*, 1383 *vosque*, 1391, 1395 *et*, 1406 *ac*, 1420, 1428 *cernitur*, 1445, 1471, 1474, 1474, 1476, 1476, 1479, 1484, 1499, 1523
- 'Komma' statt 'Punkt': 215, 723, 1006, 1269, 1376 *conditus*, 1382 *Iuppiter*, 1444
- 'Komma' statt 'Doppelpunkt': 424, 530 *corruant*, 736, 859, 1062, 1092, 1143, 1385, 1509
- 'Komma' statt 'Strichpunkt': 297, 514 *praegradent*, 541, 644 *undas*, 741, 754, 757, 820, 864, 881, 1075, 1078, 1503
- 'Punkt' gestrichen: 387 *dubius*, 633 *factionibus*, 667 *throno*, 996 *coacturas*, 1070 *animum*, 1159 *sumere*
- 'Punkt' ergänzt: 1403
- 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 16, 44, 67, 79, 119, 137, 162, 166, 180, 267, 276, 298, 301, 357, 380, 510, 520, 567, 591, 621, 666, 726, 747, 766, 823, 890, 903, 950, 994, 1015, 1023, 1061, 1077, 1078, 1094, 1128, 1129, 1132, 1212, 1229, 1336, 1344, 1355, 1421, 1457
- 'Punkt' statt 'Strichpunkt': 52, 252, 1320
- 'Punkt' statt 'Komma': 411, 413, 1091
- 'Strichpunkt' gestrichen: 121 *vicem*, 596 *Deae*, 1434 *movetur*
- 'Strichpunkt' statt 'Punkt': 617
- 'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 12, 18, 28, 49, 54, 92, 105, 111, 135, 146, 160, 171, 174, 195, 214, 234, 262, 329, 369, 376, 388, 408, 512, 531, 554, 573, 715, 778, 832, 849, 883, 896, 901, 908, 974, 991, 1009, 1018, 1047, 1056, 1066, 1085, 1113, 1161, 1189, 1274, 1309, 1349, 1396, 1416, 1445, 1453, 1468, 1490
- 'Strichpunkt' statt 'Komma': 41, 581, 631, 1228, 1234, 1281, 1321, 1346, 1360
- 'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 1312
- 'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 309, 1384
- 'Doppelpunkt' statt 'Komma': 39, 714, 1104, 1107, 1128, 1417, 1516
- 'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 30, 729, 1139, 1326, 1362
- 'Ausrufezeichen' statt 'Komma': 905
- 'Anführungszeichen' ergänzt: 1276ff., 1313ff., 1471ff.
- 'Gedankenstriche' statt 'Klammer': 527, 686, 801f., 892